

www.e-rara.ch

Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae

Geiger, Mauritius

Typis Monasterij S. Galli, 1722

Stiftsbibliothek St. Gallen

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Catechesis VIII. De septimo praecepto.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CATECHESIS VIII.

De septimo Præcepto.

Non furtum facies.

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. Quid hoc prohibetur præcepto?
2. Quinam ergò hîc peccant?
3. Qualia sunt peccata?
4. Quodnam furtum est gravissimum?
5. Quinam amplius hîc peccant?
6. Quid agendum cum rebus inventis?
7. Si quis alienum furatus fuerit, aut alteri
damnum intulerit, an sufficit confiteri?
8. Quenam sunt media contra peccata præ-
cepti septimi?

MISCELLANEA.

Annon furtum rei parvæ potest quandoque esse mortale?

Si quis per multa minuta furta perveniat ad notabilem quantitatem?

Si multi simul, sed parum furentur?

Quid dicendum de his, qui pascunt in locis prohibitis?

An venditor tenetur aperire defectum mercis?

Quid si quis mercibus bonis, defectuosas committat?

An

An famuli possunt uti occultâ recompensatione,
si dominus justum stipendium non solvat?

An possunt retinere aliquid de pretio, si majoris
vendiderint, quàm ab herô traditum est?

Q. I
Quid hoc
prohibe-
tur præ-
cepto?

Quæstio Prima: Quid hoc prohibetur præ-
cepto?

R. Furtum est omnis damnificatio proximi
in bonis, & fortunis suis.

Finis ergo hujus præcepti est, reddere
tutam cujusvis hominis substantiam, &
bona externa; ut quod quisque possidet,
in pace possideat. Quod quidem inter
specialissima Dei dona reputandum est,
posse frui bonis à Deo concessis in pace,
posse edere super mensam suam, dormire
in lectulo suo absque perturbatore, aut in-
vasore injusto. *Levit. 26. vers. 5. & seqq.* Sic
enim & lætior animi tranquillitas, & ma-
jor Deo serviendi fovetur spiritus. Exem-
plum evidens à contrario sumere licet è lo-
cis, quæ continuis militum incursibus,
aut latrocinij, aut injurijs exactionibus
divexantur.

Prohibetur ergo, ne vi, fraude, aut
quomodocumque rem invito domino de-
tineamus, possideamus, usurpemus, vel
quovis modo in temporalibus ei dam-
num inferamus.

Q. II.
Quinam
hic pec-
cant.

Quæstio Secunda: Quinam ergo hic pec-
cant?

R. I.

R. 1. Peccant fures, qui auferunt rem alienam invito domino, v. g. qui noctu clam in edes irrumpunt, pecunias aut his æquivalentia surripiunt.

Item qui sylvis publicis, agris, vineis, damna inferunt, cædendo ligna, vellendo spicas, uvas, &c.

Item opifices v. g. sartores, sutores, molitores, qui de materijs sibi creditis surripiunt, aut vilius meliori supponunt.

Item filij familias, famuli & ancillæ, qui heris, aut parentibus esculenta peculenta, vel quæcunque alia subtrahunt, ut amicis suis largiantur, aut in proprios usus convertunt. Sed,

Quæstio Tertia: Qualia sunt hæc peccata?

R. Si materia sit notabilis, aut etsi parva sit, notabile tamen damnum proximo asserat, erunt mortalia, tenenturque ad restitutionem.

Censetur autem communiter gravis materia, seu quantitas in furto, quæ homini commodè viventi, ad victum quotidianum sufficeret, v. g. 12. bacijs, vel florenus, non attentâ per se conditione proximi, an dives, an pauper sit. Ratio, quia hæc quantitas sui usu magnum commodum, sui verò privatione magnum incommodum affert; quod inde patet, quia si quis aliquem injustè toto die victu privaret, haur dubiè magnum ei injuriam afferret. Consequenter talis etiam quantitas sub mortali restituenda erit, nisi is, cui res ablata est, irrationabiliter sit invitatus; quod

*Q. III.
Qualia
peccata?*

quod nonnullis casibus contingere potest, ut *inf. q. 7.* dicitur.

Annon
furtum
rei par-
væ, &c.

Annon furtum rei parvæ potest quan-
doque esse mortale?

R. Potest per accidens, ratione damni
conjuncti, si prævisum est, aut prævideri
debuisset, exemplum afferunt de furto acûs,
si propter id sartor totâ die operari ne-
queat: aut si rustico auferatur ferrum
aratri, &c.

Præterea furtum rei exiguæ erit mor-
tale, si quis sciat alterum propterea jura-
turum, blasphematurum, &c. Sed id non
tam ratione damni, quam ratione occa-
sionis peccati, quam dat alteri.

Præterea qui multum intenderant fu-
rari, sed parum invenêre, itidem non tam
ratione damni, quam pravæ intentionis.

Si per
multa
minuta
furta, &c.

Sed quid si quis per multa furta minu-
ta perveniat ad notabilem quantitatem?
R. Si faciat animo ditescendi, & inten-
dat pervenire ad quantitatem notabilem,
peccabit mortaliter, sive ab uno sive à di-
versis furetur; quia is peccat mortaliter,
qui alteri invito notabilem quantitatem
furripere desiderat. Si verò absque animo
ditescendi diversis modicis furtis perve-
nit ad notabilem quantitatem, tenetur
ubi id advenit, sub mortali restituere; &
licet non peccarit mortaliter, sic furando,
peccat

peccat tamen modo injusto derinendo
notabilem quantitatem.

Qualiter peccant, qui simul per minuta
furta alicui notabile damnum inferunt.
v. g. quando multi prætereuntes cujus-
dam vineam, si unum vel alterum botrum
decerpunt?

Qui si-
mul per
multa
minuta,
&c.

R. Si isti omnes uno consilio conspi-
rent ad damnum notabile alteri inferen-
dum, tunc omnes peccant mortaliter, &
singuli tenentur in solidum ad totum
damnum restituendum. Si verò alter al-
terius furti conscius non sit, sed casu ita
singuli furentur, tunc certum est, nemi-
nem peccare mortaliter, quia nemo est
causa voluntaria notabilis damni: adde,
etiam si singuli advertant alios etiam fu-
turi, modò non conspirent.

Quid dicendum de furtis, quæ sunt in
messe?

Quid de
furtis in
Messe?

R. A mortali excusari posse pauperes
colligentes spicas, etiam si ad quantitatem
notabilem perveniant; quia divitibus
saltem rationabiliter invitis hæc non auf-
ferunt; secus de ijs qui modò segetem ad-
huc stantem vellicant, modò partem ma-
nipuli detruncant.

Quid dicendum de his, qui pascunt in
locis prohibitis?

Qui pa-
sunt &c.

R. Si sint membra communitalis, qui
pascunt

162 Caput III. De decem præceptis.

pascunt, non censentur graviter peccare, nisi sit omnino grave damnum, quale potest esse si pascant, ubi sunt arbutulæ novellæ, &c. Si verò pascant in aliorum pratis, peccant pro ratione damni illati, idem dicendum de cæsoribus lignorum in sylvis.

Q. IV.
Quod
gravissi-
mum
fur-
tum, &c.

Quæstio Quarta: Quodnam est furtum gravissimum?

R. Furtum sacrilegum, id est, ablatio rei sacræ de loco sacro; vel rei sacræ de loco non sacro, vel rei non sacræ de loco sacro.

Estque peccatum speciale, specialiterque illa circumstantia in confessione est aperienda.

His proximè accedunt Tutores Ecclesiarum, confraternitatum, &c. qui de illarum rebus sibi appropriant.

Est autem sacrilegium peccatum gravissimum contra reverentiam Dei, gravius tamen est, si utrâque adsit conditio, ut scilicet res sit sacræ, & de loco sacro auferatur. Vide Tb. S. G. to. 7. de Relig. tr. 3. sect. 2. q. 1. d. 3. Quam graviter verò à Deo puni-
tum sit, patet in Baltasare. Dan. 5. Rege Antiocho. 1. Mach. 6. Heliodoro. 2. Mach. 3.

Q. V.
Qui am-
plius hæc
peccant?

Quæstio Quinta: Quinam amplius hæc

1. Rapto-
res.

R. 2. Peccant raptores, qui palam & per vim, vidente & remittente domino auferunt rem alie-

nam

nam, ejusmodi solent esse milites, latrones, seu terrâ seu mari.

Distinguitur à furto, quòd hoc fiat clam, rapina palam. Estque peccatum furto longè gravius propter vim.

3. Peccant, qui participant de furto, aut rapina, aut qui præcipiunt, consulunt, auxilium ferunt.

3. Participantes.

4. Peccant, qui res scienter furtivas emunt.

4. Emmentes.

Tenentur isti ad restitutionem etiam cum jactura pretij, nisi emant, ut domino suo restituant, eo quòd nulla probabilis sit spes dominum rem suam recuperaturum, nisi ego emam, hoc casu tenetur mihi vel compensationem facere, vel rem permittere, cum enim ejus negotium utiliter gesserim, obligatur jure sumptus refundere; quod si nolit, licebit rem in compensationem retinere, quia dominus est irrationabiliter invitus, cum rem ipsi perituram sumptu meo liberaverim. Theol. Sanct. Gall. to. 6. tr. 1. sect. 2. q. 1. d. 2.

Sed quid si ignoranter & bona fide emerim rem furtivam!

Quid si ignoranter emerim rem furtivam?

R. Quamprimum rescio esse alienam, teneor domino restituere, & si pretium nulla ratione amplius acquiri possit, obligor, etiam ad recompensationem obligationem allatam.

5. Qui contra voluntatem Domini retinent, &c.

5. Peccant qui res alienas scienter & contra vo-

luntam

luntatem domini retinent, aut occultè utuntur, cujusmodi etiam sunt deposita, pignora.

6. Vsu-
rarij.

6 Peccant usurarij, qui pecunias, frumenta, aliàsque res usu consumptibiles mutuo dant, seu lucrum aliquod præter sortem exigunt tantum propter mutuacionis officium. Th. Sanct. Gall. to. 6. tra 1. sect. 2. q. 4. de 2. Prohibetur enim usura Jure Divino, humano, & naturali. Ibidem. Mutuum date nihil indesperantes. Luc. 6. v. 35. Tenentur etiam ad talium rerum restitutionem, non solum ipse usurarius, sed etiam quicumque alij, qui eas ab usurario sive titulo gratuito, sive oneroso, seu etiam hæreditate acceperunt. Ratio, quia res manet obligata domino suo. Ibid. Denique usura gravissimè punitur à Deo. Ezech. 18. v. 13. & inf. in hist.

An ex
dato mu-
tuo po-
test accipi
suprà
sortem?

An nunquam ex dato mutuo potest accipi aliquid præter, seu supra sortem sine peccato usuræ?

R. A Theologis hi præcipuè recensentur tituli, ob quos supra sortem aliquid accipere licet. 1. Damnum emergens. 2. Lucrum cessans. 3. Periculum verum, & difficultas recuperandæ sortis. 4. Pœnam mutuatario imposita, si tempore statuto non restituat. Intellige si fuerint inculpabili, & notabili restituendi mora. Vide Tb. cit.

Care-

Ca
hoc
cens
stom
cend
pit lu
loci
mitti
Ite
socie
Ess
vel p
tumo
sunt
diver
pecca
tem,
sticial
exce
Theol
7.
ptione
tractu
v. g. n
dunt p
cam h
non in
Li
actio
Item

Cæterum in materia mutui nonnulla hoc tempore fiunt, quæ olim vera usura censebantur, ut colligere est ex S. Chrysostomo & alijs, quare is videtur hodie dicendus usurarius, qui ex mutuo plus accipit lucri, quam jus statutarium cujuslibet loci, & consuetudo passim recepta permittit.

Item, qui Monopolia instituunt, aut societatem injustam in mercatura.

Est monopolium, cum unus aliquis, vel pauci, exclusis alijs conspirant, certumque genus mercium, quæ ad vitam sunt necessariae, pretio, quo ipsis libuerit, divendunt, unde oritur penuria, & est peccatum gravissimum contra charitatem, & secundum plures etiam contra justitiam, saltem si altitudinem justipretij excedant, tenenturque ad restitutionem.

Theol. Sanct. Gall. to. 6. tr. 1. sect. 2. q. 1. d. 1.

7. Peccant qui proximum decipiunt in emptione, venditione, permutatione, aliisque contractibus circa substantiam, aut qualitatem rei, v. g. mercatores, qui res vitiosas & futiles vendunt pro integris & bonis, v. g. equum, aut vaccam habentes defectus occultos, & eos emptori non indicant.

7. Quid decipiunt.

Licet enim in foro externo non detur actio, conscientia tamen reclamatur.

Item qui res infectas, & malas locant pretio indebito,

debito, artifices, qui taliter rem perficiunt, u cito corrumpatur.

Item, qui in pondere, & mensurâ fallunt, v.g. caupones, mercatores. Statera dolosa, est abominatio apud Deum. *Prov. 11. v. 1.*

Quid dicendum de venditore, à quo emprores merces infimo pretio paciscuntur, ille vero, ut ad pretium medium, vel rigorosum perveniat, compensat id occulta diminutione mercis, puta in mensura vel pondere?

℞. Hic committi injustitiam, tenerique ad restitutionem, præsertim si sit quantitas notabilis. Ratio, quia licet possit vendere pretio medio, vel rigoroso & summo, hoc tamen post conventionem de pretio non amplius licet, sed tenetur stare conventioni, quæ est inita, licet de pretio infimo. *March. in resolut. p. 1. c. 7.*

Similiter committunt injustitiam, qui rationes computando cum mercatore aliqua reticent, quæ certò sciunt se ab eo accepisse, sed non esse scripta à mercatore. Nec dicant se ideo illa reticere, quòd carò nimis alias quandòque eis vendiderit merces. Nam si non vendiderit ultra pretium rigorosum justum, tenetur in conscientia stare convento pretio. *March. ibid.*

An venditor
teneatur,
&c.

An venditor teneatur aperire defectum mercis suæ?

℞. Si

¶ Si emptor roget venditorem de bonitate aut vitio rei, vel si ad certum usum petat, tenetur venditor aperire occulta rei vitia, quia ex officio tenetur explicare conditionem rei suæ, si rogetur.

An fraudes in venditione concurrentes obligant ad restitutionem?

¶ Ordinariè obligant, si per illas causa damni detur, v. g. qui rem vitiosam & inutilem futuram emptori, ipse supra modum laudat, vel qui alios terrent minis, ut ultra summum pretium emant, &c.

March. cit.

Quid si quis mercibus bonis alias defectuosas commisceat, ut in pipere, frumento, vino, &c. fieri amat?

¶ Si simili admixtione facta mercator non pluris rem vendat, quam valeat, ut sic non tenetur ad restitutionem, quia per hoc emptoribus nullum vel exiguum damnum affert: aliud foret, si ejusmodi, v. g. vinum commixtum pro puro venderet, sicque emptorem deciperet, teneretur tunc ad restitutionem pro ratione damni. *March. cit.*

Item debitores qui non solvunt debita cum possent, aut qui contrahunt debita, quæ solvere nunquam cogitant, aut qui malitiosè in eum se statum conijciunt, ut

An fraudes in venditione obligant ad restitutionem?

Quid si quis mercibus bonis malas commisceat?

creditoribus solvendo non sint, hi que exinde damnum patiantur.

Item qui famulos aut operarios defraudant mercede, aut cum illorum damno nimis differunt.

Numeratur hoc inter peccata in cœlum clamantia.

An possint
famuli
uti com-
pensatio-
ne occul-
ta?

An possunt famuli uti compensatione occulta, si nimis exiguo pacti sint stipendio?

R. Non possunt, quia tenentur ex pacto, sententiâque contraria damnata est, propter periculum.

An verò possunt uti compensatione, si stipendium, pro quo pacti sunt, non solvatur?

R. Hoc casu primitus monendum & rogandum esse dominum, postea auxilium, à superioribus petendum, juxta legem omnibus damnificatis datam: quod si verò famulus hoc, absque notabili molestia expensarum, aut amissionis benevolentiae præstare nequeat, consulat confessorium, qui onerando poenitentis conscientiam, si ita est, &c. compensationem conceder, absente tamen scandalo, & ne plus accipiatur, quam ex justitia teneatur.

An famulus
teneatur ad re-
stitutionem,
&c.

Item famuli aut mercenarii pretio conducti, qui non fideliter laborant.

An famulus casu, quo res domini furto
furti-

furripiuntur, si ipse dissimulet, teneatur ad restitutionem?

R. Si ei domus vel rerum custodia demandata est, tenetur, alias non: neq; enim ex hoc, quod sit famulus, tenetur ex iustitia res domini custodire saltem contra domesticos, unde si alium famulum videat aliquid furripientem, non tenetur ex lege iustitiæ impedire, & per consequens nec restituere. *March. cit.*

Quid si famuli furripiant esculenta, aut poculenta? Quid de esculentis, &c?

R. Si ipsi ea consumant, non peccant graviter, secus si ea vendant, aut donent, quia Domini tunc rationabiliter inviti consentur.

An famuli aut ancillæ possunt retinere aliquid de pretio, si majoris vendiderint, quam ab hero traditum est? An famuli retinere possunt de pretio, &c?

R. Ordinariè non possunt, sed totum illud domino tradere debent, quod enim dominus pretium determinarit, id egit ne venderetur infra, non autem supra, si fuerit occasio: & quo titulo id liceret? non ratione rei venditæ, hæc enim domini est: nec ratione industriæ vel ministerij, propter hoc enim accipit stipendium suum. *March. cit.*

Item qui in ludo per fraudem aliquid lucratur.

Aut qui ludunt cum ijs, qui res alienare non possunt, ut cum filiis familias.

8. Qui falsificant, &c.
Si adulterinum nummum accepi an denuò licet expendere?

8. Peccant, qui falsificant monetam, aut talem expendunt.

Si ergò adulterinum accepti Philippeum, annon denuò licet expendere?

8. Nequaquam; nunquam enim licet alium decipere, ut se servet indemnem, tibi imputa quod tu deceptus sis: rectè igitur justitiæ amantes ejusmodi monetam mox perfodiunt, aut frangunt, ne alius damnum patiatur.

Item qui falsificant testamenta: aut aliud instrumentum publicum.

Item qui imitantur, aperiunt, aut supprimunt literas alienas.

Item qui falsificant aut transferunt terminos agrorum.

Item qui alienum partum, seu adulterinum supponunt.

Item pauperes, otio dediti, qui absque causa, stipem colligunt, qui morbos fingunt, collecta in tabernis abliguriunt.

9. Qui bona publica, &c.

9. Peccant rempublicam administrantes, qui bona publica in propriam utilitatem convertunt.

Item Principes, qui subditos injustis exactio- nibus vectigalibus onerant, iidem si bella injusta moveant.

Item proditores urbium, hominum.

Item

Item Iudices judicando injustè, ignoranter, negligenter, ob lucrum, ob favorem.

Item advocati Procuratores scienter causam injustam foventes aut injustè stipendia exigentes, causas protrahentes, &c.

Item qui litem movent injustam, aut qui in lite in iusta utuntur fraude, & deceptione ad vincendum.

Item qui impediunt alium ab obtentione justis, beneficiorum, reddituum, officiorum, &c.

Item tutores, qui pupillorum res sibi attribuunt.

Item parentes qui unam prolem absque causa præ alia ditant, materiâque litium subministrant, aut filii familias dum defraudant fratres suos detrahendo, quæ possunt sub mortem parentum.

10. Peccant, qui proximum damnificant in bonis, absque aliquo lucro, v. g. qui in culpa sunt, ut domus vicini incendatur, ut frumentum in horreo pereat, ut navigium subsidat, ut quadrupes pauperiem faciat.

10. Qui damnificant, &c.

Item qui alterius damnum corporale impedire possunt, sed omittunt, v. g. qui suborientem ignem non extinguunt, qui equum in foveam lapsum non extrahunt.

Quæstio Sexta: Quid agendum cum rebus inventis?

Q. VI.
Quid agendum cum rebus inventis.

R. Rei dominus inquirendus est, ei que restituenda; quod si non compareat, illam servare licet, aut quod pietati magis consonum, in pias causas, v. g. pauperes, Ecclesiam erit expendenda.

Alio-

Alioquin rem inveniens, nec restituens, peccat juxta gravitatem materiæ.

Q. VII.
An iuffi-
cit confi-
teri fur-
tum?

Quæstio Septima: Quod si quis rem alienam furatus fuerit, aut alteri damnum iniuste attulerit, an sufficit confiteri?

R. Non sufficit, sed res suo domino restituenda est, damnumque recumpensandum.

Habet hanc odiosam appendicem peccatum istud, secus, quàm peccata alia, quæ si confitearis, dicitur mox: absolvo te, vade in pace; at in furti materia non prius dicitur vade, quam restitue, restitue, &c.

R E C A P I T U L A T I O.

Hæc de septimo præcepto summa est. (1.) Prohibetur hic furtum, & omnis injuria, &c. (2.) Peccant ergo 1. fures. (3.) In materia notabili mortaliter, quandoq; & in re parva, aut per multa minuta furtiva, &c. in messe, &c. in pascuis, &c. (4.) Furtum gravissimum est sacrilegium. (5.) 2. peccant raptores, &c. 3. qui participant, &c. 4. qui res furtivas, &c. 5. qui res alienas retinent, &c. 6. usurarii, &c. 7. qui decipiunt, &c. 8. qui falsificant monetam, &c. 9. qui bona publica, &c. 10. qui damnificant. (6.) Res inventæ.

E X H O R T A T I O.

Discimus
confide-
rare fi-
nem, &c.

Discimus hic charissimi primò considerare finem hujus præcepti, qui est rem pro-

proximi intactam relinquere, & suis contentum esse, quisque enim se juxta vires & gratiam laboret, omnem sufficientiam à Deo ejusque paternâ providentiâ abundanter habebit, &c. Quis speravit in Domino, & confusus est? &c.

Discimus secundò considerare, quàm frequentes sint hæ transgressiones tum apud Principes, & Magistratus, tum apud opifices & mercatores, tum apud heros & famulos, operarios, tum apud caupones, tum apud tutores, &c. *juxta q. 8.*

2. Quam frequentia sint furta, &c.

Discimus terciò considerare quàm pestifera & noxia sint peccata furti, rapinæ, &c. Pugnant enim non contra justitiam tantum, sed etiam charitatem: sunt maximè læsivæ, id docet experientia, sæpius ob modicam damnificationem, v. g. gallinarum irruptionem in hortum, antiqua & firma inter vicinos amicitia in odium vatinianum defecit, quàm verò graviter à Deo puniantur patet in Achan. *Ios. 7. v. 24. & Habac. 2. v. 4. & Exod. 22. & 1. Cor. 6. 10.* Fures regnū Dei nō possidebunt: idem dicendum de quocūque bonorum injustorum possessore, etiam hæreditario jure; assimilantur hi Equorum mangoni *Rosdauschler* / qui seriem equorum ad nundinas ducturus primo insidet reliquos caudis invicem annexos post se trahit, ita dæmon

3. Quam noxia, &c.

dæmon primo injusto usurario quasi insidet, reliquos hæredes huic annexos ad tartara deducit.

Pœnas Civiles vide apud Alexandrum ab Alexandro. *l. 6. c. 10.*

4. Remedia, &c.

Discimus quartò adhibere media juxta. *Q. 8.*

HÆRETICI.

Græci.

GRæci moderni sentiunt non esse peccatum, dare aliquid ad usuram. *Alfonsus à castro adversus hæreses, verbo, usura.*

Sed refutantur *ex q. 5.*

Calvinista.

Calvinistæ, aliique hæretici sacrilegia, v. g. spoliare Ecclesias, destruere monasteria, confringere vasa sacra, in lucro ponunt. Unicus Henricus VIII. in sola Angelia uno anno ad decem millia templorum evertit, sed ultima morientis verba fuere: Amici perdidimus omnia; de quo extat:

*Millia dena unus templorum stultulit annus.
Quam timeo in pœnis vix satis unus erit.*

Lycurgus.

Lycurgus fures si non in ipso facto, sed modo postea deprehenderentur, immunes dimitti voluit, ut quilibet rei suæ studiosius invigilaret. *Guevarra in epist.*

HISTO.

HISTORIÆ.

BARO quidam juvenis ex Polonia à Paren-
tibus Hierosolymas peregrinationis cau-
sâ missus fuerat, qui una cum pluribus
alijs navim Venerijs ingressus die quodam
uni è socijs omnem pene pecuniam ab-
stulit, atque inter scruta abscondit, brevi
advertens peregrinus ille damnum sibi il-
latum, turbari, & angustiari cœpit, & mo-
dò hunc modò in illum suspiciosas cogi-
tationes vertere, in neminem tamen mi-
nus quàm in Baronem; audientes autem
servi illius, de hac re missitantes, fatentur
dominum suum à primis annis furtis as-
suetum, propterea que Hierosolymam mis-
sum, ut per misericordiam Dei hoc vitio
liberaretur, cœterùm hunc ei esse morem,
ut continuò in locum, quo rem absconde-
ret, oculos defigeret; observatus ergo con-
stanter intrueri scruta illa, inquisitum ibi,
pecuniâque reperta est, & domino suo ex-
ultanti tradita. *Ægidius Tschudi Helvetus in
pereg. Hieros. qui hoc vidit & scripsit.*

Furari à
natura,
&c.

Juvenis quidam suspendio addictus
patris alloquium petijt, adest pater, Filius
quasi in aurem quidpiam dicturus patri
aurem morso præcidit; habe gratiam à
me: tu suspendij mei causa es, si enim me
primi-

Causa
furti pa-
rentes.

primitus furantem correxisles, infamem modo mortem non sustinerem. *S. Bernardin. Sen.*

De S. Landelino.

delitimo. Historiam de S. Landelino nobili adulescente furtis assueto, postea latrone, de mum Monacho, vide *March. hic lect. 12. prop. 1.*

Fur impeditur.

Fur quidam S. Medardo Abbati bovem abstulerat, qui nolam collo pendulam gerebat, quam cum fur inde detrahere aut obturare veller, neutrum poterat, sed ad omnem motum campanula sonabat, quare facti pœnitens, ab Abbate veniam petijt & impetravit. *Sur. 10. 3.*

Fur rei furtivæ adhæret.

Alius Corbiniano Ep. mulam abstulerat, qui tanta vi bestię adhærebat, ut tota nocte per devia & avia inde se expedire non potuerit, sed manè ad januam stabuli Episcopalis adstiterit; promittens ergo emendationem à viro sancto liberatus fuit. *Sur. 10. 5.*

Fur sacri legus Baltasar.

Dum Baltasar Rex vasis sacris cum Principibus & concubinis uritur, manum in pariete scribeutem vider, horrendam sententiam, Mane, Teckel, Phares, Dominus transtulit regnum tuum, &c. *Dan. 5. vers. 25.*

Antiochus.

Rex Antiochus ob spoliatum templum Hierosolymitanum varijs viscerum doloribus

ribus excrutiarus infelicem animam ex-
spuit. 1. Mach. 6. v. 16.

Heliodorus à Rege Seleuco missus, ut Heliodo-
deriperet thesauros Templi, ab angelis di-
rissimè flagellatur. 2. Mach. 3.

Usurarius quidam morti vicinus voca-
vit notarium, ut testamentum suum con-
deret; scribe, inquit, corpus meum terræ
deretur, ex qua sumptum est, anima dæmo-
nibus tradatur, quia eorum est; dum au-
tem adstantem hoc delirio tribuerent, terriò
id repetijt, addiditque, vultis ut clarius
aperiam mentem meam, insuper anima
uxoris meæ debetur dæmonibus, quia ad
usuram me sollicitavit, & animæ filiorum
meorum, quia ut eos ditarem hoc feci, &
anima Confessarij, quia impœnitentem me
absolvit. *Lib. de viris illust. Ord. Cist.*

Aliud simile vide apud *March. cit. prop. 2.* Alius.
Dæmonem supra cistam, in qua injusta
pecunia reservabatur, sedentem vidit
Monachus. *Ibid. ex Cantiprat.*

Civis Colonienfis à fratre suo Abbate
S. Pantaleonis plurimas accipiens pecu-
nias penitus de pauperatur, peenitens ve-
rò & restituens locupletatur. *Ibid.*

B. Maria Aegniac. rogabat Deum, ut
ipsam doceret de statu Maris suæ, adest
ergo illius umbra, ad quam B. Maria, quo-
modo habes O Mater? pessimè respondit

M

nil

Res mo-
nasterij.
Restitu-
tio omis-
sa.

nil me juvant preces tuæ æternis ignibus addictam. Heu, inquit, quæ causa damnationis? enutrita fui in his, quæ per iusta mercimonia acquisita fuerunt, & conscia non restitui, indignum enim iudicavi parentum meorum vestigia declinare & ideo æternum perij. *Ibid.*

Fraus in
vino.

Civis quidam pauper vinum emerat, mixtum dein aqua duplo majori pretio vendidit, idque diu persecutus, non exiguum vim auri corrasit, tandem ad nundinas profectus, in via marsupium auro illo gravidum super expansum pallium in terram deposuit, inde necessitatis cuiusdam ergo paululum discedens, interea corvus ex alto ratus esse carnem, marsupium rostro abstraxit atque in proximum flumen decidere permisit, sicque omnis spes & res Usurarij perijt. *Greg. Tur. de gl'or. Conf. c. 109.*



CATE.